

Italicum, tunc celebratum constat, cujus meminit S. Hieronymus (a); de quo et nec non Romano, quod diximus, & Africano, de quo dictum sumus, Cornelium Papam aliam scripsisse ad Fabianum, quem Flavianum nominat, Antiochenum Episcopum, testatur.

(a) Hier. de Script. Eccles. in Corn.

IV. Concilia plurima ea de causa in aliis locis celebrata. (b) Cypri. epist. 55.

Quod autem non solum Romae, sed in diversis aliis provinciis eadem ex causa Concilia fuisse celebrata tradit Eusebius; constat in Africa item hoc anno Maiis convenisse simul Episcopos, ut meminit Cyprianus (b) scribens ad Cornelium Papam. Diversam ac plane aliam hanc fuisse Synodum ab ea quam anno superiori diximus celebratam, satis eadem Cyprianus epistola certum reddit, dum meminit Synodi anno superiori celebratae. Hoc ipsum plane esse Concilium, quod post Pascha celebrandum fore hoc anno, qui tertius numeratur a persecutionis exordio, idem Cyprianus testatur scribens ad Fortunatum (c) atque collegas Episcopos, cum illi, quod agendum esset de quibusdani lapsis, ipsum consulissent. Interfuerunt huic Synodo Episcopi quadragintaduo, quorum extat Synodica (d) ad Cornelium Romanum Pontificem missa; qua quid in Synodo actum sit; & causam, cur lapsis poenitentibus de injunctis vel in iungendis poenitentibus tribuerent indulgentiam, fuerint persuasi, atque ad id agendum permoti, significant in hac verba:

(c) Cypri. epist. 93.

(d) Cypri. epist. 54.

V. Synodica ex Africano Concilio.

Statueramus quidem jam pridem, frater carissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario, & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu poenitentiam plenam; & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub actu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudere, & dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de seculo recedentes, sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in caelis ligata essent; solvi autem possent illis, quae hic prius in Eccl. Ann. Ecc. Tom. III.

lesia solverentur. Sed enim cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare coepisse, & crebris atque assiduis infestationibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati & parati simus, plebem etiam nobis divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus, & omnes omnino milites Christi, qui arma desiderant & praelium flagitant, intra castra Domini colligamus; necessitate cogente censuimus, Eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed poenitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non desisterunt, pacem dandam esse, & eos ad praelium, quod imminet, armari & instrui oportere.

Obtemperandum namque est infestationibus atque admonitionibus iustis, ut a pastoribus oves in periculo non deserantur, sed grex omnis in unum congregetur, & exercitus Domini ad certamen militiae caelestis armetur. Merito enim traheretur dolentium poenitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quando quies & tranquillitas aderat, qua differre diu plangentium lacrymas, & subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax est necessaria, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est; ut quos excitamus & hortamur ad praelium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Domini securitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut provocamus, eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quo modo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus.

De lapsis statim recipiendis.

VI. Futura persecutio praesagitur.

Interesse debet, frater carissime, inter eos qui vel apostatae fuerunt, & ad saeculum, cui renuntiaverant, reversi gentiliter vivunt, vel ad hereticos transfuge facti.

VII. Lapsorum habenda discretio.

PAGIUS

tum iniisse ex Nummis clare patere scribit, uti ex isto: Imp. Cas. C. Vib. Trebonianus Gallus Aug. P. M. Tr. P. Coss. II. P. P. quem hoc anno censem arbitrat, quia Tribunitia Potestas in eo sine numerali nota editur. Sed hic Nummus similese ad hanc rem nihil faciunt; in illis enim Tribunitia Potestas absolute ponitur, ideoque quo anno Imperii cusi, incertum. Sic nullus dixerit, hunc Severi Nummum a Medjobarbo relatum primo Imperii eius anno percussum: SEVERUS PIUS AUG. IMP. XII. PARTH. MAX. in postica: TR. P. COS. III. P. P. S. C. quia, licet Tribunitia Potestas sine numerali nota efferatur, non ideo tamen ejus Imperii initio cusus, cum nonnisi decimo Imperii anno Consulatum tertium capes-

serit. Ex Nummis itaque hac difficultas diffiniri non potest, ideoque tam a Baronio, quam a Pearsonio frustra adhibiti.

A num. IV. ad XLV. Pearsonius citatus res hoc anno gestas hoc modo digere. Ipso statim hujus anni initio S. Cyprianus ad Confessores Romanos dat epistolam LIV. quae Pamela est LI. de eorum ad Ecclesiam reditu congratulatoriam; Unitate postquam non tantum a Cornelio, sed ab ipsis etiam postea literas de regressione sua & fraterna redintegratione accepisset. His autem literis duos libellos a se scriptos illis commendat, de Unitate unum, quem ad Romanos dudum, antequam Confessores ad Ecclesiam reversi sunt; de Lapsis alterum, quem nuper post interitum Decii apud suos legerat, & Romam transmisserat,

III. Cyprianus componit libros de Unitate & de Lapsis.

Baron. an. 254. n. LXXXVIII.